PVBLII DEMOPHILI

AD

Chriſtianos Principes

DE PACE

PROTREPTICVS.

164

HAGIOPOLI

Apud MUCIUM SILENTIARIUM.

CIↃ IↃC XLVI.

165

PUBLII DEMOPHILI
AD
CHRISTIANOS PRINCIPES
DE PACE
PROTREPTICUS.

PUblica voce loqui, & omnium ore ſuo mentem exprimere, nec unquam indecens, nec noſtro ſeculo arbitror illicitum; quando publica etiam dominationis flagitia, quæque ambitio majorum aut ſequens libido fœda invenit, monimentis conſignata, & (quod complementum audaciæ eſt) flagitioſe patrata impudenter laudata legimus. Minori utique crimine apud ſanos ſeculum ſuis & veris coloribus expingeretur & traderetur poſteris. Nos vero quicquid retro malorum oblivisci quam enarrare, & qualecunque remedium quam muliebria lamenta geſtimus afferre. Sed me quidem intuens habeo quod excuſem, nec habeo quod calumniis opponam, præter unam pietatem. nam veluti in morbis gravioribus graviſſimum eſt, quod voce & mente ſana deſtituamur: ita tot barbararum belli calamitatum ignorantia remedii prima & maxima eſt. Adeo inter arma pietas obmutuit, ut, cum præclaris factis vix nobis quies poſſit reſtitui, ne pacifica quidem verba habuerimus. Exaruere quin imo ipſæ diuturnitate lacrimæ, nec ſupereſt, quod pro nobis digne loquatur, præter reliquias noſtri. Non tamen pigebit incondita ac rudi voce, & quæ bellorũ mala vix effugit, bella incuſare, quæ ſi rectoribus Reipublicæ Chriſtianæ ſalubriter & neceſſario pace mutanda oſtendimns, voluimus quidem aliquantulum paci conferre: ſin minus, veſtræ Clementiæ erit, Chriſtiani Principes, ante ferre utilitatibus veſtris miſerorum ſalutem, & quod non debetis, benignedonare.

Virtutum merito tuarum auſpicis, AUGUSTE pro Pace differere incipimus, quibus ſolis maximus Regum eſſes, niſi te imperii faſtigium extuliſſet. Eſt unica fluctuantis Germaniæ anchora, unicum ſolamen! cæteris triſtibus ac ſiniſtris, uno lætatur, quod malis late graſſantibus oppoſuerint te fata. Quid enim aliud miſeræ reliquum? quæ nunc tam ſibi diſſimilis, ut rudera magis ſui quam ſeipſam exhibeat. Hic deſerta, hic lacera oppida; hic urbium rogi, hic cadavera; ager incultus, rarus agricola, totæ regiones ſolitudinum inſtar habitatoribus vaſtæ. Tacere licet, quot quantiſque ſæviendi polluendique modis res eo redacta; abreptas per vim conjuges, violatas virgines, fratres à fratribus occiſas, liberos in conſpectu parentum trucidatos. Germania omnium flagitiorum ipſa monumentnm conſtituta eſt; adeoque furor tranſcendit facinorum, ut ita loquar, legem, ut vulgaria ſcelera jure belli putemus licere: inauditum & horrendum ſit oportet, quod nunc inter facinora cenſeatur. Nimirum qui non unius ævi criminibus furimus, plurium ſeculorum

luimus pænas, & quaſi nimium humanitatis habeant fata, quæ ſemel perimunt, & belli & peſtis & famis extremum iidem tulimus. Rapinæ & extorſiones olim opulentos affligebant; nunc ne egeſtas quidem ſecura: ſed plectitur, tanquam mortem meruerit, qui non poſſit vitam emere. Nec tantum in humana quidvis licet, parum eſſet quod in ſanguinem & in cervices noſtras improbitati regnum, ſi religio, ſi divina in tuto eſſent. Spoliata fana, aræ Dei innocentium ſanguine commaculatæ, ſacrilegia in legitimum quæſtum ceſſere: divinis tamen humaniſque obruti piaculis poſtulant, ut ſacroſanctam Dei cauſam agere videantur, illi ipſi, quibus ſummus Deus neque ſacer neque ſanctus eſt. Minori dedecore hæreſes propugnarent, quam ſub unius nomine omnibus ſacris & religionibus bellum indixerunt. Hæc patricidia, haſce minas ecce vobis, bellorum machinatores; egregium ambitionis veſtræ pretium, niſi ſi, quod de virtutibus prædicant Sapientes, ſcelera nunc ſibi facta ſunt præmium. Sed tu, Germanice Cæſar, non hæc planctum fœmineum aut vanam lamentationem crede; omne damnum tuum eſt: tamdiu belli ipſum Imperium ſinus, tuum ærarium eſt præda. Geritur bellum externis nominibus, tuo & civili ſanguine. Quantum egregiæ ſternitur pubis, tantum tibi virium & virtutis eripitur, ut ipſæ victoriæ clades tantum lætiores ſint, imperium ſpecioſiore funere conditur. Etenim ſeptem fere & viginti annos, grande ſeculi ſpatium, bellatur; duodecim jam vincere didiſcimus: etiam nunc quid tanto cruore totque malis redemptum ſit, de die in diem magis dubitatur. Aliorum enim aliquando nationum auditæ, diſcordiæ civiles factæ perpetuum Germaniæ venenum: quippe Principum, Nobilium, plebis hic ingens multitudo: qui ſinguli diverſa volunt, una omnes libertatis libidine moventur; feroces natura homines cum quietem oderunt, facile bellum inveniunt. Præcipua vero armorum cauſa, quod domus Auſtriaca longo imperio & plurimis victoriis Principibus formidanda, nec his libertatis nec illi imperii modus eſſet. Acceſſit Religionum diverſitas, ſpecioſus imperantibus prætextus & acer ſtimulus vulgo, ignaro nos pridem vera rerum vocabula amiſiſſe. Denique errore Auſtriacorum aperta bello via, cum metus & odii cauſis nondum ſublatis victricia arma depoſuerunt. Ita natum ſævum bellum, quod trahi magis quam confici poteſt. Germanus enim miles ut cælo ſoloque ſuo ad pugnandum acriter animatur, ita lentitudine naturæ fluxis & prægrandibus magis quam firmis corporibus, comiſſationibus & popinis ad munia, quæ celeritatem requirunt, nimis retardatur: præliis bonus, bello nec vincere ſcit nec vinci. Sed Germania ante hac non multum à victa abfuerit. Poſt Palatinum, Danum, Brunſvicenſem debellatos videbatur à dominante ſubacto. Guſtavo arma movente, oſtendit ſuperari ſe non poſſe, aut poſſe pro libertate. Nimirum belli tum exitus in uno atque altero prælio erat: paucæ urbes annuis copiis aut arte muniendi contra obſidionum moras firmatæ: commeatum, arma, viros, obvia miniſtrabant oppida: inde perſequi hoſtem ac victoriam ti victoribus in proclivi erat. Abiit nunc & tranſvectum eſt tropæorum tempus: omnium rerum penuria & egeſtas vicerunt, & ut victi fuga, victores inedia fatiſcunt. Præterea multæ urbes, naturali ſitu vix expugnabiles, arte adjutæ ſunt, & eodem illo munimentô, circumſitarum regionum inopia. Cum vero res militaris duce & milite conſtet, illos tantopere delectat regnum armorum, ut illud non properent ejurare. Servorum legiones, cohortes equorum, regiam aulam, principes ipſos habere inter mancipia, totarum provinciarum rapere ſtipendia; quippe quibus in naturam tranſiit omnia ex libidine agitare: abſque armis non ſibi vivere viderentur. Iis inſuper aucti ſunt honoribus, quos non poſſint honeſte tueri ſine bello & ſcelere. Cum enim Principum, Comitum & quæ alia nominum addi-

166

tamenta, non pompa virtutis, ſed aulæ inanibus & aureis conſerventur vinculis, & ſuis facultatibus non polleant homines novi, aliena quærunt; ubi aliena deerunt, etiam tua, Cæſar, deprædabuntur. Hoſne putes ſerio pacem velle, qui ultro oblatam vix ferrent? Hoſne per ancipitia velle clareſcere, quibus tutior ex raptis opibus claritudo? Ceſſaverunt præclara illa facinora, poſtquam præmiis virtuti ademtis plurimi honores divitiis quæruntur, omnes retinentur. Pares improbitati robuſtiori levitatis ſordes; ubicunque per noctant, ex cubiculis ſtabula, ex tricliniis popinas efficiunt; ea cura ut partem rei conficiendæ putares, vino luſtriſque confici. Sed parum hoc, plus exemplo quam vitiis nocent. Miles quam non gloriæ, non patriæ amore, ſed ad perfugium nequitiæ & perditarum vitæ rationum & ſpe ulterius peccandi ſumpſit militiam, per flagitia exercet: concuſſiones, angarias, rapinas pro ſtipendiis habens, meretur quantum poteſt auferre: ideoque criminibus magis decernere quam ferro, inire pugnam injuſſu ducum, ſine cura eorundem fugere, abire: nam & honeſtiora jam videntur transfugia; jam ante ad improbitatem transfugerunt. Ridere libet ſocordiam illorum, qui ſic bella tractanda & hoſtes citra diſpendium Reipublicæ arbitrantur atterendos. Scilicet hoſtiles tantum vaſtamus agros, hoſtilia diripimus oppida: non etiam cum ſociis & ſubjectis ita bellum gerimus, ut nihil eis belli relinquamus. Equidem uti terras tributa recuſantes haud male evaſtes, ita amicorum juxta ac hoſtium fines depopulari latronum magis quam militum, & contra fas diſciplinæ, armorum animæ. Enimvero nullam armatorum tantam puto multitudinem, quantam abſque Cæſarei fiſci impendio potuiſſet Germania nutrire, ſi diſciplinæ umbra, ſi pudor tantum aut modus aliquis licentiæ fuiſſet; quando per tot annos uti verita quid ultimum in pace, ita paſſa eſt & adhuc patitur quid in bello. Sed quemadmodum inveteratos morbos nutrias tutius quam medeare: ita mala hæc prævalida & adulta, quia tolli non poſſunt, melius fortaſſis tolerantur. Cæterum certum eſt nihil certi eſſe illis in armis, quæ viros fortes corrumpunt aut abſumunt. Ergo nemo expectet, ut tuis & hoſtium legionibus trutinatis, quid validum, quid infirmum, dijudicemus. Turmæ ſunt fortuito conglobatæ fortuito fideles; cum fidem, animum, obedientiam, omnia à fortuna habeant, nihil habent. Quanquam Ferdinande Cæſar, milites tui numero & virtute ſunt inferiores: non enim ſemel exercitus cæſi; crebræ clades multa oppida, magnas traxerunt provincias. Gallia quot triumphis ſuperba? quot urbibus & caſtellis circumſepta? Nec ultra eos terminos, quos pacta aut temporis longinquitas, ſed illos ipſos, quos rerum natura ei præſcripſit, extendit imperium. Pirenæis montibus tanquam muro, Rheno tanquam foſſa munitur: hic abſorbet, illi extinguunt, quicquid flammis internis pariat alendis. Suedi quos in re militari viros habeant, cum eos quotidie facta ſua commendent, dicere ſupervacaneum ſit: & quis dubitet, an militem meliorem totiens victores. Veteranus enim ut de præda pugnans, niſi paret victoriam, victoria paratur. Præterea illas poſſident civitates, quibus ne timidiſſimi & otio effœminati niſi temporis diuturnitate expellantur. Quamvis amiſſo Guſtavo Rege, magno imperatore, ingentem tulerint cladem, & bellum non jam dominationis cupiditate, non regia dextra, non ſummo animatum imperio, minus metuendum credatur: vidimus tamen & experti ſumus poſthumam fortunam; egregium documentum, claros imperatores, quando fato ceſſerint, nondum hoſtibus cedere. Nimirum tantum ab his in cæteros diffunditur virtutis, ut etiam nepotes poſſint vincere. Bellica Macedonum laus non uno periit ſeculo: Vel Philippo imperante ſenſerunt Romani eos Alexandrum habuiſſe. Enimvero iniqua tua belligerantis conditio, Auguſte: periculum ſine ſpe

triumphi ſubis,certas de victoria, quæ ut vincas, vix meretur. Quid enim perdant Suedi,præter partem ImperiiGermanici,id eſt,tua?fœdo frigore,rupibus inacceſſis, vaſtis ſolitudinibus,mari,cælo,terra,defenduntur: aſt totũ imperium, quicquid fertilium & opulentarũ ſupereſt regionum,illis fortuna præmium poſuit. Et quid non auſint victores, qui ne vincerentur, novos hoſtes, nova regna impune laceſſiverint? Qui jam omnia populantes, infeſtis ſignis ex una provincia in alteram deſcendant? Nec parum refert, an alius agros tuos, an tu alienos uras & evaſtes: Ut plurimum tutius, ſemper majoris animi eſt inferre pericula quam propulſare. Illa vero ſumma imperii peſtis eſt grande hoſtium decus, quod & milite & ſtipendio Germaniæ bellent, & commodent nomen & imperium alienæ calamitati? Libertas etiam & religio tempeſtive obtentui ſumpta, quando utrique timebatur, vulgus non parum cepere. Illud denique magnum malum, quod miles tuus æque ac hoſtis noceat, non æque excuſetur: meliora ab amicis poſtulantur: quæ in hoſte clementia,in amico crudelitas; quæ in hoſte diſciplina,in amico vocatur licentia: facile captat benevolentiam, à quo atrociora homines timent. Ne de vulgo tantum loquar: Principibus ſuſpecta Auſtriacorum potentia, tanquam Hiſpanorum conſiliis regatur: & pluſquam legitima & libertati ferenda agitet. Nec ægre ferunt vim Cæſaris infringi,gnari Germaniam, niſi ſe vincat, invictam. Licet non me lateat opinio quorumdam, bella hæc, quæ, Principum magis fines exſcindant, è re Imperatoris eſſe: quando nihil magis Imperii potentiam divellat, & contemptui exterorum exponat, quam ipſum inter ſe diſcors imperium. Sed conſtat hoſce Regulos non adeo atteri, nec eorum expilari æraria: quippe qui ſegnius bellum gerentes, non æque in vectigalibus imponendis inertes, nec tam ſtolidi ſunt, ut opes ſubdictorum aliorum rapinis reſervent. Et ſi hiſce bellis ad inopiam dilaberentur, nihil ultra metuendum, ſed bellum civile pro lucro eſſet. Non enim ſic debellatur Germania, quæ etiam cum crederetur pavere,tum maxime ſæpe terruit. Experti id non ſemel Cæſares, & ut unum pro omnibus dicam, Atavus tuus,Imperator, ille cujus virtute renata antiqua exempla, & quæ tantum legebantur, viderunt ſecula noſtra; ille cui fortuna indulſit deditque, quantum poterat,ne ſimul daret terræ Imperium: qui Galliarum Regem potuit ducere in triumphum, obſidere Papam in mole Adriana,inſilire Ottomannorum tyrannidi, & multatis regno Priucipibus Germaniam creditus ſubegiſſe; Carolus Quintus, poſt tot triumphos & tantam in Republica experientiam, quid poſſint & audeant Imperii Principes, didicit, quando Lantgravium ex pacto cunctatus dimittere, à Mauritio Saxoniæ Electore ſuperventus in Italiam coactus eſt concedere. Sed poſſint hoc modo diſcidii pœnas perſolvere: in amicitiam reverſi debent amici haberi, ut nemo in corpus Imperii nolit redire. Ultio tamen placeat, ultor profecto diſplicebit, qui ſine ſummo tuo periculo te non vindicaverit. Sicut contagioſam luem ſtolide quiſquam vicino imprecetur, ita male conſulatur vindictæ, antequam ſecuritati. Auſtria quidem diu fuit immunis: non ſibi, fortunæ illud aut errori Guſtavi debet: potuit ille victor quamlibet Germaniæ oram ſubjugare,ſed maluit (& quidam avaritiæ eum incuſant) Bavariam per populari. Trahatur ergo bellum, det (quæ ejus alea eſt) utrique triumphos,utrique clades. Anne cum cæteris regionibus egeſtate arceantur, Auſtriam nunc petent hoſtes tui? didicerunt bonis maliſque ſuis,fruſtra Germaniam vinci, niſi Auſtria tentetur: hanc arcem Imperii, non niſi hac labante labi Cæſaris majeſtatem. Sed quid hæc ut futura & incerta refero? Vana ſint hæc omnia, niſi omnia oculis tuis vides,Imperator, aut ſi cum eo hoſte res eſt, cum quo errori locus. Sin cum illo duce, cum illo exercitu, cum quo nunquam ſine ingenti clade erratum; ſi jam tibi non bis licet pec-

care, ſi Auſtriam & tuas terras ſibi deſpondent; ſi muros fere Viennæ circumſtant; ſit tandem aliqua pacis conſiliis fides, exaudiantur gemitus miſerorum, & pietas ſit, quod & Reipublicæ & tua ſalus poſcit. Tibi profecto, ô Decus, eo glorioſius erit bellum pace mutaviſſe, quo ſanctius eſt inveniſſe arma quam cepiſſe: cumque antehac tantum in re militari merueris laudem, nunc reliquum eſt, ut etiam in pace clareſcas.

Quoniam non ſexum tantum, ſed Auguſtum imperium & ſummam fortunam ſupergrederis virtute & meritis, GALLIARUM AUGUSTA, abſque injnria divinarum tuarum virtutum non licet dubitare, quin victoriis & triumphis tuis quietem Reipublicæ Chriſtianæ antehabeas. Poſt tantam quidem laudem, unam hanc terrarum orbis de te expectat, una hac te digna eſt. Reddita pace obligatum præſens rerum parentem te ſalutabit, futurum & æternitas ipſa prædicabit Heroinam. Gallis ſane nomen deerit, quod pro tanto beneficio tibi & regi indant: à vobis nominabuntur. Non enim pacem probo, quia adverſus Chriſtianos & Catholicos Principes bellum tractatur; una imperii ſalus adhibeatur in conſilium: non quia adverſus fratrem & ſororem tuam; hominem exuat, qui purpuram induit. Licet non me fallat, quod pietas & Religio ſemper tibi prima fuerint, & pax minus te digne ſit, quam neceſſariam probaverim. Morem tamen gerens ſeculo & regum conſultoribus, ſepoſita cauſa, arma demum damnabo, quæ regno non conducant. Gallia multis in Belgio & Germania civitatibus, totis in Hiſpania & Italia aucta provinciis, milite, ducibus, pecunia, potentiſſima, ubique victrix, ubique ſeipſa major: ſed niſi victoriis illis modum ponat, ut hodiernus ejus ſtatus hominumque illorum notum eſt ingenium, majorem ſe faciet facilius quam feret. Sicuti tempeſtate calidiore tracto ad exteriora cruore interna corporis humani haud proinde foventur: ita ſi nimium ſanguinis attrahant brachia & pedes imperii pectus & ipſum corpus neceſſario flacceſcent. Creſcit acquirendi libido cum acquiſitis; ambitio & famæ etiam fames parantur ſaturitate. At habent regna menſuram ſuam; quam ubi exceſſerint, à ſua mole obruantur. Quo magis laborandum, ut felicitati temperes, ne clades hoſtium, acquiſitæ terræ, inania ſæpe nomina, tibi imponant, ut non ponderes, quantum Reipublicæ ex triumphis utilitatis ac levamenti acceſſerit. Falſo imperium auget, qui triumphando illud enervat. Viciſti, & vincis quotidie hoſtes tuas, Gallia. Quid ergo ſingulis annis, non dicam nova ſupplementa, ſed totos comparas exercitus? Regiones & urbes regno adjeciſti. Quid ergo creſcunt tributa & vectigalia tua, cum immenſa ſint? foris tibi bellum eſt, alienos divexas fines: quid ergo in Gallia media in pace inveniuntur deſerti præ ſtipendiorum onere agri? quid aliud ſi victa eſſes, & hoſtes in te ingruerent, tibi accideret? Quamobrem vidimus inviſum pleriſque Richelium velut cauſam malorum: quo defuncto funere, qui Ludovicum XIII. auderent accuſare, & Reginæ dominatum votis expetere: hac imperante, denuo oſtendunt alias ſe reges optare malle quam habere, niſi gravia duræ pacis mala immutentur. Non enim pro regni ſalute, ſed paucorum libidine tantum ſanguinis effundi, quando quæ victi ſoleant pati, victores patiantur. Bella quidem domi funeſta, ſed furore quodam & una clade abſolvere regiones. Pacem nunc legibus firmatam, ut improba prudentia æternum ſæviat. Fruſtra ſe Richelii morte lætatos ſi homines, non vitia, perirent. Utique illum ſupervixiſſe ſatius fuiſſe, qui tantum rapuiſſet, quantum ſatis ſibi & ſuis eſſet. Nunc hominem novum imperare, & cum eo novas libidines, novos ſatellites. Si ſervire oporteat, honeſtius obtemperaviſſe homini Gallo. Fœde externo parere, qui ſe contemnat, ut viles & alienos. Hæc regni turbamenta non parvi

facienda,

facienda; quis enim onerum, quis collationũ, quis bellorum finis? Quin quo diutius metu comprimantur rebelliones ſuppullulantes, eo acrius tandem erumpent, difficilius ſedabuntur. Illud mortalibus ingenium, ut cum diu ſe putent immerito premi, malint merito opprimi. Aliæ animorum tempeſtates facilius exoriuntur & reſidunt; deſperatio tardum eſt, ſed extremum malorum. Nec deſunt plebi capita, principibus aut eorum filiis priſtina dignitas manet mente repoſita: Exules terras mutavere, non animum: quicquid eis donatur, beneficium, non æſtimant quia plura habuerunt: ut beneficio non devincti, res novas moliantur. Equidem ſi ullum regnum, illis ampliandi imperii ſomniis debet parcere Gallia, ut quæ chaos quoddam plus ſecum quam cum hoſtibus habeat negotii. Tacebo mille alia, quid magis ſordidum ac peſtilens, quam omnes poteſtates non occulte (ut ſæpe ſolet ſurrepere ambitio) ſed palam venire? quas auro adepti, nihil meritis, nihil dignitate, omnia quæſtu metiuntur, juſtitiæ & vitiorum nundinas inſtituunt. Magna & Romana exempla non niſi Romanis æmulanda: prius leges, prius diſciplinam militarem, prius virtutem & prudentiam ab his ſumite, Galli: poſt de imperio cogitandum. Quanquam fato illud & fortuna magis quam humana prudentia contingit. Si quid in nobis eſt, fatum hoc virtute paratur. Poſtquam veræ artis oblitum genus humanum, irrepſere fraudes & quanto quæque gens aſtutia valida præ reliquis eſſe cæpit. Ne nunc quidem præcellit Gallia. ſed ferocia hominum ſuorum & libidine fortunæ caput extulit. Quod ſi altera tantum harum ſtabile quid & firmum habet, haud vanè ſibi polliceantur magnum imperium, diuturnam felicitatem. At ſi fortuna & Franci iidem qui ſemper, id eſt, nunquam iidem, viderint qui nimium eis confidunt. Sunt quidem homines feroces valde atque animoſi, ſed impetu magis quam perſeverantia agunt: cito pariunt, cito cedunt victoriam, proſperis rebus fortes, adverſis pavidi. Quo magis miror, quoſdam ſuper his fundamentis magna ſtruere, & pacem in ſpeciem adornatis diſſuadere conſiliis. Paribus enim utrinque partibus aut altera ſubacta tranſigendũ: cum Galli ante Hiſpanos armis nunc ſint, & hi victas necdum manus dent, illos debere quidem pacis amorem præferre, ſed non deeſſe fortunæ præbenti ſe; ſequi potius quo auguria vocant. Cum quibus quæſo bellum habes Gallia? an cum una inſula Britannia? fuit & hæc tibi formi danda, an cum ſingulis ducibus? fuere & hi pares, Cum Auſtriacorum tibi, ne neſcias, imperio res eſt, cum oppidis infinitis, cum divitiis immenſis, cum tot nationibus & regnis, quot vix unus homo percurrat, ut ſi jam fata annuant, non Alexander aliquis tantæ moli par ſit. Eſt illis Imperium Romanum, nunquam obſcurum nomen, etiamſi aliquando obumbretur. Eſt firmata longo imperio domus & Principes in ſumma fortuna admiraculnm concordes. An vero Hiſpanos tuum ipſa gentem neſcis, Regina, quorum in adverſis atque in proſperis magis eminet virtus, atque adeo nativa & propria eſt conſtantia? Gens eſt militiæ vetus, invicta animo, laboris plus quam dici poteſt patiens? Virtutem cujus quaſi unus non caperet orbis, alter inventus ac ſimul ſubjugatus fuit? ſubjectis & ſociis Auſtriacorum, falſo unius nationis laudem aſcripſeris: ſemper eos ſol aſpicit. Quid dicam Germanos, Belgas, Italos alioſque, quos ſingulos poſſis Gallis opponere? At enim rebelles Hiſpaniæ, afflictum Belgium, nictat Italia. Quis igitur, poſtquam Luſitania & Catalaunia exemplum, veſtri triumphi animos cæteris dedere, ad vos defecit? Nam illud mihi decretum eſt, duas haſce nationes, quibus æternum quoddam diſſidium & odium eſt ingenitum, poſſe gravia ac atrocia bella gerere, poſſe alteram diu adverſam experiri fortunam; ſed neutram alterius imperium ſine excidio & internecione paſſuram. Antehac Galliæ videbantur ſub Hiſpanorum leges ituræ, nunc Hiſpani triumphantur magis quam vincun-

vincuntur. Et ſane ſi alibi parum fidei, cur nunc Itali imperio impotenti non imponunt ſeditioni finem? qui Neapolis & Mediolanum non audent quod Portus Herculis Monæci impune potuit? & Belgæ inter hoſtes medii quid Hiſpanum non diſpellunt cervicibus publicis? quanquam quomodo deficerent? Hiſpani firmiſſimo charitatis vinculo, utilitate, plus adverſus ſubjectos quam armis valent, hac alienam etiam rempublicam emerunt, hac liberis dominantur. Habeantur ambitioſi: ſola vitiorum gloriæ cupiditas rediit cum virtutibus in gratiam. Habeantur avari: nihil facilius donis corrumpitur quam avaritiæ fama. Sint exoſi: nemo eos cum Gallis permutaverit. Horum enim (ſi ſubjectis fides eſt) avaritia cum prodigalitate, ne exſatientur unquam, convenit; magis inſolentes, nec minus tumidos Iberis, ajunt, hos agitare dominationem: illos libidines ſuas utcunque metu coercere, hos audere quantum concupiſcant, quantum audeant concupiſcere, modo ſine modo faciles, modo ſine lege ſævos. Sed cæteris rebus ſitis Hiſpanis pares, Regina: ærarium certe veſtrum opulentum regni miſeria, repletum plebis inopia, nimis grande victoriam, nimis vile publici odii precium. At Hiſpanum fundo caret, dum aurum Indiarum non eſt intercluſum, ut ſi nulla alia re, certe belli diuturnitate quælibet mala poſſint ſuperare. Nec ſolum ingenium & opes ſed imperium eorum ita conſtitutum eſt. Magna illa imperia, majora ſæpe ex cladibus reſurgunt, & maxima evadunt, quando videbantur caſura. Romani poſtquam ex Thraſimeno & Cannis emerſere, & Hannibalem vicerunt, vix opus fuit, ut iterum de ſummo contenderent imperio. Hoſtes enim illorum imperiorum arridente fortuna omnem vim intendunt, & vires à victoria mutuantur: inde verſa ſorte, cum feſſis animis exhauſta eorum corruunt regna. Feratur igitur ſermonibus & mnltiplicetur fama, militia & virtus Francorum: ego Hiſpanos nunquam magis admiratus ſum, nunquam putavi vinci eos non poſſe, niſi poſtquam victi fuerunt. Catalaunia enim & Portugallia rebellibus, imperio undique afflicto, de ſingulis etiam nunc oppidis diſceptatur; quando Galli vincendi laborem ægre ſuſtentant, & ſatis in victoria oſtendunt, qualem in adverſis ſint habituri animum. Caveant quidem ſibi felices hi, ne ſi quando fortunæ pœnas dent, accipiant ſimul largam intercalatorum malorum uſuram. Poſſit tamen Auſtriaca à Gallis debilitari Monarchia: bellum cum Hiſpanis ſuſceptum cum univerſa eis habendum Europa. Omnium enim refert, ne quis unus ad id potentiæ culmen provehatur, ex quo omnium capitibus poſſit inſultare. Papa ipſe hoc imprimis arcano Principes infra genua tenet, gnarus precarium ſibi imperium, ſi alii ſummum eſſet. Venetorum vero illa ſemper fuit magnitudo, quod nemo maximus, illa libertas, quod paribus & quædam reſpublica inter reges. Ipſi quinimo ſocii, Auguſta, in Gallos arma vertent, ubi extra invidiam fuerit Hiſpania; hoſtes prius quam regna ejus invenietis. Non enim amor, non fides; idem odium, idem metus Gallis amicos dedit. Et imperium quidem Catholicum ita adolevit & firmatum eſt, ut ab uno fruſtra tentetur, à pluribus ſine exitio convellentium non poſſit convelli. Vel prudentioribus Batavorum ſuſpecta eſt ſocietas veſtra. Videndum, inquiunt, ne Hiſpanos vehementius quam caute oderimus. Deo bene juvante & virtute eo res noſtræ progreſſæ, ut hoſtes minus quam amicos poſſimus timere. Male hoſtis ab illo deprimatur, qui pace ut minus inviſus, bello ut minus diſſitus poſſit ingruere. Et Belgii & totius Germaniæ animos dominandi libido male diſſimulata à Francis non parum alienavit. Vidimus Lotharingiæ Ducem ducatus ſui ruinam quam illorum maluiſſe amicitiam. Vidimus Principes Germanos cito illorum ſocietati renunciaſſe. Nam Cardinalis Richelius mature detegebat illum in ſocios animum, illam libertatem, cujus nomine

omnes ſollicitabat. Non gratuitam in tanto dominatus deſiderio amicitiam, diu ſapientes, poſt plerique videre, & ex illo malo hoc habuerunt boni, ut diſcerent quantum crederent. Novimus tandem, uti quid Religio Iberis, ita quid libertas Gallis. Sperent hoc vocabulo Imperium, quibus meluis confidit libertas. Fuit Cardinalis hic, vir magno ingenio, & virtutibus & vitiis privato major. Alexander ſolvendum Imperaturo nodum non niſi ferro enodavit: hic quæ virtute non poterat, vi aut frande peregit, ratus maximum magnorum crimen, non eſſe magnum. Non tamen omnes ejus defectus fuerunt imperatorii: ſuis rebus & neceſſitudinibus, ſuis imprimis odiis cum Rempublicam conjungeret, ſæpe poſthabuit, nec potuit uſui ſimul parere & libidini. Quid enim Reginam, matrem Regis, cauſam magnitudinis ſuæ, non dico in exilium egit (poterat hoc regnum poſtulare) ſed profugæ & extorri, pecuniam ad ſuorum alimenta negans fecit, ut pravo in reges documento, & magno cum dedecore Ludovici, trigum Regum mater, velut victum quærens, per Europam vagaretur? Quid illo præſidio quo ſeptus erat, quid ſatellitum & miniſtrorum exercitu, quid omnia munia ſuis committendo, aliud voluit, quam ut omnia in ſua unius poteſtate & arbitrio verterentur? Eadem de cauſa bella ex bellis ſerens, contremiſcebat ad nomen concordiæ, cum inter Principes & longa decora præferentes, haud perinde in otio enitere poſſet nec ſubſiſtere. At rebus motis major viri auctoritas, quia regis mentem ſibi uni devinxerat, arma & ærarium, præmia & pœnæ in illius manu. Ergo facile reliquis, vel Iuſto præferri: Præferri quin imo bono & æquo, tanquam nihil eſſet ſervitus ſine flagitiis. Specioſis quidem nominibus perſuadebat arma Principi: non quieſcendum infeſtata undique gente, cum qua bellum tutius quam pacem habeant; quin & regnum niſi foris gerat, arma domi invenire. Et rem profecto Gallicam perpetuis antehac ſeditionibus ſcimus exagitatam; & fuere qui naturæ id hominum temere in bella ruentium imputarent; quidam religionis factioni, ſub cujus prætextu abuſi vulgo turbulenti Principes; alii auro Hiſpanorum foventi diſcordias. Verum potiſſima mali cauſa ipſi Principes erant; horum libidini reges diu fuerant obnoxii; hi primas poteſtates non donari ſibi arbitrabantur, ſed deberi; hi niſi eundem in conſilio, quem in ſanguine, locum obtinerent, trahebant regnum in partes. Uti igitur factu aſperum, ſic uſu ſalubre alios morte, alios exilio, alios carcere pœnas luiſſe. Principibus enim amotis nihil plebes auſa: nam nec totæ regiones corrumpuntur, nec turbant ſine duce, nec duces ſequuntur, niſi genere aut virtute inſignes: aut ſi ſequantur, defectionem pœnitentia mox & nova defectione diluunt. Quamobrem quædam illius hominis conſilia vice legis obſervanda; quæ à pravis affectibus ſuggeſta, ſemper fugienda, quorum ratio non conſtat, niſi uni reddatur; nunc certe reprobanda, non enim Reginæ eadem quæ Regi majeſtas: non eadem Auſtriacæ in Gallia fides, quæ Borbonio; plus ad regii ſanguinis Principes, plus ad conſilium deferendum. Unum quidem ſerio cavendum, ne quis primas dominandi ſpes ingrediatur, quo ſolo res Gallica in pace ſtare ac librari poteſt. Compactum illud & unitum corpus adverſus inopinatos caſus ſatis præſidii, in una atque altera legione habebit. Et Hiſpani quamlibet pacis artibus pollentes non facile ſubibunt animos dicta & facta ſua in crinem detorquentium, aut ſi ſubeant, vana erit corruptio, à qua præcipua rerum non dependent. Cum igitur longæ aliæ res ſint, alia rerum facies, Auguſta, & nuſquam minus atque in bello reſpondeant eventus: Cum ſi non temere, utique fruſtra tantum Chriſtiani ſanguinis tetrum hoc bellum hauriat: cum illud omnium certiſſimum, Gallias minus in pace periclitari: Crede rempublicam Chriſtianam te implorare, optima Princeps, expoſcere opem & miſericordiam tuam: ut ne perverſam

verſam paucis gratiam gratificans permittas, ut tempora miſerorum diutius obſideantur; ſed jubeas detrahatur mimus, & pacem fidelius dent, qui jactantius concupiſcunt. Quinimo utaris hominum opinione, utaris fortuna tua, quæ pacem tibi poſſunt facere æquiorem: ſi enim neglexeris tempus hoc, quo donare magis quam accipere pacem potes videri, illa quoque lætitia brevi luxuriabit & evaneſcet.

Pax omnium rerum optima & maxime Chriſtiana neminem magis decet, Rex Catholice, quam Catholicum & Auſtriacum, & maximi Principem imperii. Cum enim Catholicus ſis, univerſi Chriſtianorum orbis nobis ſpondes quietem. Cum Auſtriacus, pacificas virtutes & artes plane Auſtriacas. Aliorum eſt Regum cæde imperium adaugere: Auſtriaci illud nuptiis & regum propagatione propagaverunt, & cum magni eſſent, majores genuere. Ne ſit alterius decus iſtud & claritudo, ſubveniſſe nomini Chriſtiano: maximus es, ſed uno hoc fieri major potes. Regna tua bello feſſa & tot malis polluta, non aliter poſſunt refici. Culpam quidem ex æquo partita ſit, in pœnis fortuna tuis ſubjectis fuit iniquior. Etenim Belgium hinc inde conteritur, in Italia trepidatur, infeſtatur ipſe oceanus. Hiſpaniæ non tantum utriuſque orbis coloniis & conſcribendis exercitibus exinanitæ, ſed deterrimo exemplo audivimus (& vix auribus noſtris credidimus) Hiſpanos deſciviſſe. Probavit tandem non ſemel eventus, præclarorum illud volumen nominum & innumera regna mole & magnitudine ſua premi. Vidimus immanes Indiarum Theſauros indigentia ſuperatas, & tot inſuper regionum liberalitate non expletam temporum & Reipublicæ avaritiam. Vidimus nationes ſub alio ſole ſitas ægre ab æquore conjugari: quicquid hominum induſtria conetur, tuetur jus & naturam ſuam mare: plectuntur ſubditi tui, Philippe Rex, quicquid peccaverint venti: volvitur ſalus eorum per incerta maris & tempeſtatum, exponuntur & fortunæ & hoſtium & ducum tuorum libidinibus. Fruſtra culpam rejeceris in fortunam, ubi tantum tuis; fruſtra in tuos, ubi tantum fortunæ & hoſtibus licet. Neque boni imperatores contra tantam caſuum vim ſatis prudentes, neque ſine militum & nummorum tempeſtivo ſubſidio Rempublicam bene gerere poſſunt: malis vero longinquitas delinquendi incitamentum; quantum perpetrent, fortuna excuſat. Et profecto quid aureos illos, ſed veros, novi orbis montes digluti verit, niſi illa ipſa imperii Hiſpani vaſtitas? quid prudentiæ Italorum, Hiſpanorum ponderi, Belgarum & Germanorum ferociæ eſſet reſiſtendo, niſi has virtutes, quæ imperium connectit, quaſi nimiam verita potentiam, natura diremiſſet? Ideoque vis illa, quæ unita eſſet invicta, ſed & quamlibet aliam facile contunderet, in tot tantaſque regiones diſtracta, modicis aliquando viribus fuit ludibrio. Primi omnium Batavi auſi contra Hiſpaniam exſurgere, & ignoto libertatis prodigio gentem rerum dominam plebs turbulenta & reſpublica nondum nata ſuis finibus expulit. Habuit imitatores felix audacia, & timidi ante & cauti Italici Principes, jam ſinguli auſi Hiſpanos provocare. Denique quantum vi, quantum fama valuerunt, rebus demum adverſis diſtinxere Hiſpani. Utcunque alienis in finibus res cecidiſſet, ſua viribus ſpecies, ſua majeſtati reverentia. Poſtquam ipſe Iberus ardet bello timeat Caſtulo, quantum timebatur. Non in ſolos Gallos ſtringit enſem, non in ambitionem: in illos, qui non impetu, ſed deſperatione in audaciam accinguntur; in illos, qui niſi offeratur pax, non ſperabunt poſſe ignoſcendo tranſigi; ſi offeratur, vix credent. Porro in hac Patria columen & ſuſtentaculum imperii vertitur: pectore & capite nudatis fruſtra reliquos artus armis tegas. At poteſt res cunctando reſtitui. Equidem ad bella magis quam ad prælia ire, cautum & ſtabile eſt: ſed multi mortales, dum feſtinandi & agendi tempora ſedendo triverunt, inertium for-

titi ſunt fata. Nam & quid ex tua natura & quid ex tuo tempore ſit cum animo reputandum. Bella & acies, pax & arma poſſunt prodeſſe; poſſunt eadem obeſſe, quia naturam ab uſu aſſumunt. Celebris apud veteres Fabii cunctatio, cumque bellum in Italiæ meditullio, & multitudo hominum, & locus moræ amicus eſſent, Romanis fuit uſu optima. Ad hoc exemplo utendum, cum tam diverſis in locis tot cum bellis Hiſpanus confligetur, cum Belgium & Italia Gallo confinis, cum vel in Hiſpania laboretur: quot Fabiis, quot legionibus, quot Apenninis, quibus tum tuto, tum ſalubriter inſideatur, opus ſit? Si enim tuis tantum pugnandi copiam non feceris, nihil agendo rempublicam is peſſundatum. Contra Batavos parum temeritate peccatum; acceptum tamen id detrimenti, quod acies adverſas mallet Hiſpania. Poſſint tamen alicubi bello hoſtes refutari; ut nullibi Reſpublica claudicet, non efficietur. Quod errore & pravis amicorum conſiliis vulnus inflictum, nequicquam mutato belli genere ſanaveris: error maximus bellum eſt. Equidem Hiſpanos ante multos armis eſſe conceſſerim libens: ſed multorum ſeculorum acta in pace eos, Gallos in bello potiores teſtificantur: ut plerumque armorum jacturam, hi tranſigendo reſarcierint, illi dextris otii damna: plane quaſi togæ & ſagi vicibus utrumque imperium intra limites coerceant fata. Etenim Hiſpani poſitione calidioris ſui cæſi uti maturiores, ita non pari audacia mortem oppetunt: ſed ſuum abſcondentes animum in alienum irreptare, omnia facile ſimulare & diſſimulare. At Gallis novitatis pluſquam avidis tædium erit ex belli mora. Arma homines hi diutius quam quietem ferunt, exercitas æſtates hiems otioſa tradit oblivioni, ineunte vere nova eis ad prælia alacritas, novi tanquam ex terra nati exercitus. Quanquam olim omnis eorum gloria in equeſtri pugna & ſubitis, nunc etiam faſtidioſis obſidionibus claruerunt, & nativum illud vitium uſu videntur exſuiſſe, & temeritati junxiſſe bellandi conſtantiam. At enim ærarium Galliæ evacuabitur? Contra à ſapientibus diſſertatur, multum à ſubditis exigi, ſed multum etiam in regno conſumi, ut permutatio verius quam exactio ſit: multum in externos erogari, plurimum ab illis inferri: annonæ ſatis laxum pretium: cætera vectigalibus gravata, falſo cariora dici, cum avehenda ad alios grande regno fœnus pro caritate reddant: per Italiam longe plus in pace pendi Galliis robuſtiſſimorum inſtar animalium inſolens, non intolerandum, quicquid eſt gravaminum. At ſane ultra, quot præſentia incommoda ægre ſpe penſantur, opprobria gentis tuæ, Rex magne, ambitionis via ad perniciem graſſantur, & ubi alteri alterius ope vigerent, per invidiam & detractionem utrique hebeſcunt. Ab his tibi plusquam ab hoſtibus periculi impendet: hi invadunt præmia, calumniantur in ſanguinem bene meritorum. Si quis infelix, proditionis inſimulatur: ſi quis fortis & felix, prægravis illorum ignaviæ, laudatur pejus, quam ſi convitiis peteretur. Inde tuorum alioquin fidelium virtus langueſcit, ut quibus idem periculum ex magna fama, quod ex mala? Inde ut ſcopuli navigantibus, ita viris illuſtribus vitatur regia, inde nemo magnus in aula tua fato perfungitur, qui non feratur veneno interceptus. Sero tibi innoteſcunt vitia Reipublicæ, Philippe; quã diu tuto prava facinora clam patrantur: nimirum ut argumentum ſit magnitudinis tuæ multa te ignorare. Idcirco Hiſpanorum imperium exoſi cæteri. Non quidem ſe renuere, uti paupertatem, ajunt, ſeque ipſos regi devoveant; ſtrui facultatibus ſuis inſcio Rege inſidias; quamvis multa furentur, nihil avaritia violari; una ſuperbia fidem oſtentare. Quamobrem vix vinculum aliquod firmum ſit inter injuſte imperantes & male parentes, ſed regna ſuis vitiis magis quam benevolentiæ obedientia. Rari enim cives, parum inter ſe conſuetudinis, nihil fidei habentes, non in commune conſulunt, caſtella ſedes ſervitutis, Hiſpanienſium auctoritatem & delatores verentur. Præterea dominum minus odioſum non ſtatim inveniunt, certi Gallum pro Hiſpano legem

publicæ mutatæ fructum. Nec enim Hiſpanos, ſed illorum fortunam fovent. Omnes gentes malunt ſui generis principem quam alienum, & præſentem quam abſentem. Invitum ſit Catalauniæ exemplum; Luſitano ſi deſit pœna, non deerunt ſectatores. Pacem cum Batavis è re Hiſpaniæ eſſe conſentit cum ſapientibus fortuna: non enim bellum, unam per totum ſeculum prorogas cladem. Et hoſtes tui non una ſunt reſpublica, ſed quot pomæria, tot reſpublicæ: quot domus, tot ſectæ: ſunt venales proceres, varia plebs nimia unius potentia, magna ſingulorum, magna civitatum & provinciarum imparitas: hæc tot annos non oppugnas, princeps maxime, ſed vi imperii tui coegiſti, ut firmarent rempublicam terra formidandam, oceano imperantem. Omnino Hiſpanos oportebat hoſtes eſſe, ut tot corruptelæ in pulchrum corpus coirent. Sed Dei cauſa eſt, inquiunt, erit illa Deo curæ. Laus hæc ſine ſummo periculo non affectata, ſine ſtrage barbara non perficienda. Cum enim veri armis mentes oppugnandæ, quod nec inquiritur armis nec à falſo diſcernitur, ſua cuique religio vera eſt, & pro ea, ut pro aris & focis, dimicatur. Melius error ſua diſcordia corruat, & ut natus eſt, denaſcatur. Quomodo vero pium ſit ſectas ferro convertere, quando nulla prorſus ſuperſtitio adæquet bellorum impietatem? ſed adeone non per omnia idem ſentientes odio habebimus, ut ad eorum exſtirpationem per catholicorum ſanguinẽ tranſcendere quam eos non exſtirpare præſtet? Utraque enim utrinque religio: & poſtquam majore ope enituntur Galli, plus ubique Romanenſium mactatur, ut nec ſancte id quæratur, nec utiliter obtendatur. Audiantur enim voces hominum paſſim clamitantiũ: Catholicum nomen iiſdem artibus exercitari, quibus initio partum ſit: Ferdinandum exemplo eos inſtruxiſſe: in Belgio & Germania ſancto & honeſto nomine pro ſua potentia certare: ſed præreptum Romanæ Eccleſiæ regnum Neapolitanum: illectum totiens purpuratorum ſenatum, ut in deligendo præſule terrarum orbis Hiſpanienſis magis quam Chriſtiani rationem haberent: concitas Galliarum Regi hæreticorũ turbas: religioſiſſimos mortales, ubi regno Deus inſerviat; ſi pietas & ambitio diſcordent, nihil ultra ſancti neque penſi habere. Sed quid tam multa attinet memorare, tempus pridem eſt ſpecioſa illa tranſmittendi. Credas per ſtipendia tua diteſcentibus, Rex maxime, pie in Belgio & feliciter decertari: Credas in Luſitania magnam rebus tuis factam acceſſionem, quia opes Ducis Bragantini ad fiſcum devolutæ: Credas omnia læta, ſi tuto tibi jam licet in Hiſpania decipi. Tuorum tandem ambitio, ſi pietati & utilitati recuſat cedere, cedat neceſſitati. Experti eſtis invicem vos & fortuna. Erronum etiam ſyderum parvus in cœlo apparet proceſſus, & cœlorum machina quotidie circumvolvuntur: major in terris violentia fortunæ. Rapit omnem ſuam prudentiam, & amentibus patrocinans & ſtolidos ſupra mortalia evehens nos illudit. Aſſentias avi tui Philippi Prudentis conſilio, quod quies regnis Italicis utilior. Aſſentias ſapientibus, quod Belgio, & nunc oculis tuis, quod Hiſpaniæ. Nec ſolummodo imperium, ſed tua multo magis virtus, Princeps optime, pacem flagitat. Dediſti grande Clementiæ documentum, & monſtraſti eſſe apud te medium inter ſumma & præcipitia. Tuos virtute ſuperaſti. reſtat ut etiam hoſtes ſuperes. In civili Chriſtianorum bello, crimen magnum virtus eſt. Virtutes veræ ſunt pietas & pacis amor. his reſtauranda res, eadem erit tua & terræ ſalus.

Ad te quidem, SVEDORUM REGINA, vera magni parentis proles, magna cum ſpe me converto. Bellico ſis facinoribus Guſtavum non potes æmulari, potes virtutem & gloriam ejus aſſequi data pace. Dubium erit, utri Germania plus debeat, an illi cujus virtute libera eſt, an tibi cujus pietate supereſt. Ambigent Suedi tui, majuſne ſit, quod tantus fuerit Pater tuus; an quod tantam generaverit. Fuerint per illum magni, pet te felices. Oſtenſa jam terrarum orbi Suedia, ex ignota & obſcura

facta eſt hiſtoria ſeculi: ſatis gloriæ, ſatis caſuum. Nimio claritudinis deſiderio, multi parta ſimul ac ſperata decora, & ſpe fortunæ everterunt fortunas ſuas. Etiam nocuit ſors vobis, cum favit, quid ſi aliquando noceat? Ideone plus Germanorum exercitus veſtri habent, ut plus quam exercitus ipſi perderetis? Eripuiſtis multa hoſtibus oppida, ſed ſepulchra Ducum veſtrorum acquiſiviſtis. Inſignes victorias, ſed cruentas & luctuoſas, non inultis extorſiſtis hoſtibus. Mereretur unius Guſtavi Vita, ut nunquam viciſſetis. Ille quidem non morte minus quam vita fortunatus, quod invictus, quod vi fortunæ inconvulſus, quod pro Germaniæ libertate exiſtimetur cecidiſſe: ſed veſtrum hoc vulnus, Suedi, veſtra hæc mors, qua ſola felix fuit Guſtavus, ut vos eſſetis infelices, poſt hunc tantum concertatum. hoc uno funere victoria elata eſt. Quot tamen armorum decora ademerint acies, ſi recenſendum, librum nominibus replerem. Vimarium, Bannerium, duo belli fulmina tremebant prælia, bellum abſumpſit. Quod horum duorum relatum præmium? quid actum tanto ſanguine, niſi ut ævum, cui gravia magna nomina, ad ſe redeat, nec liceat videre virum? interiit jam diſciplina, nec arbitreris eoſdem regis paſſos imperia. Adeo nunc inverſa eſt militia, ut Suedi magni & præclari & bello egregii habeantur, quia norunt ſine diſciplina bellare. Sed neſcit veros & durabiles triumphos belli ratio, quæ caret ratione. Fors domina campi eſt. Intereſt illius, ne quis unus ſemper triumphet, quantum vero vel una adverſa acies detrimenti Suedis afferat teſtis eſt Nortlinga, quæ abſtulit Veteranũ & uſu victoriarũ firmatum militem, & qua vel ſola bella profligabant, famam invictorum. Poſt unum hunc conflictũ actum erat, ſi iterum fundebantur. Nimirum longe à domo, fugientibus periculoſiſſima ſunt, quæ erant proſperima, & ſicuti quia intuta illis fuga, difficilius fugantur, pulſi facile delentur ad internecionem. Quamobrem diſperſi aliquando & ſtrati tui, ægre ſe recolligent: inſtabunt hoſtes, inſequentur Principes Germaniæ, & unum certamen erit, quis Cæſari plurimum imputet, non tantum omnes ſibi ſecundas res vindicabunt, ſed etiam vincenti imperatore ad ſuam ipſorum ſecuritatem auxilia mittent. Et anne Dani vobis vicem reddent? differtis non finitis bellum pace hac, quod vobis ipſi documento eſtis licere inferre, antequam indicatur. Enimvero rem altius perſpicientes, non negabunt Suedis etiam tædium attuliſſe motam belli, ſed poſtremam hanc expeditionem multum invidiæ conflaviſſe. Queruntur, illos armis & legionibus ſuccintos raptus & predam tranſverſos agere, abhorrere à ſterili pace: illi armati Regis arcanorum conſcio, & ut quidam ajunt, magiſtro, ut ne in Reginam & Virginem & prima Imperii ſpatia ingredientem precarium Imperium habeat, bello opus, in quo multum fæminæ conſilium. Et qui pacem mallet? arma reditibus annumerat. Sed per Germaniam miſere traducuntur Suedi, & ab illis ipſis, qui ſummo cum plauſu adventantes exceperunt. Apparere nunc demum, quæ cauſa Suedis in Germaniam tranſcendendi; avaritiam videlicet, & mutandæ ſedis amorem, ut relictis rupibus & ſolitudinibus ſuis fæcundiſſimum ſolum habitarent: nobiles raptores, adeo dulcedine ex alienis fortunis prædandi captos, ut poſtquam præda vaſtantibus defuiſſet, alios hoſtes quæſiverint. Cæterum libertatem præferri, ut Imperium opprimant: ubi Imperium oppreſſerint, ipſam aggrediantur? An etiam illatum nuper Danis bellum pro libertate? non enim aliter potuiſſe probare, ſe hoſtes pacis, niſi arbitrum adortos. Ne juſtas quidem cauſas in ſcripto, quod pro ſe ediderint, adduci. Velent ſaltim jure cauſam, niſi una eorum injuſtitia, non dare prædam militibus. Quicquid ſit, & ut hæc ex vocibus vulgi potius quam vero & ſua natura æſtimentur, non etiam nihil eſt, qualis in ore hominum quæque res ſit? Illud certum, illum libertatis Germanicæ prætextum multum amiſiſſe. Defluxere pridem Principes, & ad conſuetum imperium ſe averterunt,

ſuiſque ſe rationibus perfidia exſolvunt: non enim ſe facta cum imperatore pace ſocietatem violaſſe, violatam jam ante imperioſa amicitia & non obſcuris regnandi meditamentis. Antiquius Germaniæ cum ſua libertate quam cum Suedis fœdus. Ideoque occaſionem nacti perficiendi, quæ diu intra animum volutaverant, non ſunt cunctati. Cum his non parum vobis deceſſit, niſi quod præmortuæ cum Rege ſpes eſſent. Ille Germaniam inſtar torrentis inundabat, ille poterat magna, ſed (ſi liceat verum) nec fæminarum auſpiciis, nec tot capitum imperiis deturbabitur de ſolio Imperator. Fœdus cum Gallis vobis eſt. ſed non reor vos tam ſerviles, ut ſanguinem alienæ dominationi commodetis, aut tam parum prudentes, ut vos fugiat, quam inſtabilis & momentanea victorum ſocietas, quam infida potentiorum, imprimis leviſſimorum fidei mutandæ ingeniorum. Quos illi in veſtræ religionis homines amores profiteantur, dicant cruentæ cædes, dicat una dies Bartolomæo ſacra, niſi quod illos admiſerint. Quod ſi ne nunc ſenſus ſuos abdunt, cum pars victoriæ eſtis, quid ſi victoriæ illorum per vos mutilarentur? Sed ceſſemus ponere, quæ vix unquam accident, non enim adeo peroſa eſt Auſtriacos Dei totiens hominumque conſenſu ad imperium vocatos, ut externos aſciſcat, Germania: non ſævos, non barbaros tyrannos dedit domus hæc: omne eorum crimen, quod nimium magni & nimium boni fuerint. Et ſi parum probi amici, eorum in republica officia capeſſentes, poteſtatem perperam uſurparunt, ſatis ſuperque malum illud malis expiatum. At concordi & invitæ Germaniæ ſervitutem imponere, nec hujus fæderis eſt, nec hujus ſeculi. Jam nihili faciendum & vanum nomen Cæſar ſit: illic Bavariæ ærarium, illic Saxoniæ & Brandiburgi potentia; illic Principum Eccleſiaſticorum fides, illic civitatum libertas, & innumerabilia, quæ cognita habetis & perſpecta, bella vobis ex bellis dabunt. Intrabit tandem animos pudor & gloria, eluent hanc maculam, & diſcordias civiles in exitium hoſtibus vertent. Nimirum omne Imperium procerum & civitatum nixum multitudine, ut in externos invalidum, ſic intra ſe firmiſſimum. Porro illud belli ingenium longinqui, ut niſi una mole & impetu hoſtem concuſſerit, plerumq; ſponte ſeneſcat. Nam quum inter omnia inimica infeſtaque in diem rapto vivendũ, corrumpuntur illæ opportunitates, quæ præterlapſæ redire indignantur. Hannibalem quindecim annos in Italia, ut plurimum victorem ſupplementa & pecunia ad conficiendum bellum defecerunt. Nunc vero, Regina, venerunt illa tempora, quæ nullam virtutis mercedem, nullum emolumentum periculorum largiantur, nullum victoriæ uſum habeant. Divitiis Germaniæ repleta eſt Suedia, permutatum hujus ferrum cum illius auro. Campus, ubi hæc fuere, & ingens bellum ſuperſunt. Relinque hæc ſaltem Germanis. Poſt hac non ſanguine tantum trahetur bellum; repetet nummos ſuos. Non ea militum copia, non ea fortuna egenas provincias expugnabitis, qua opulentas. Licet patriæ incendium, aris atque focis paraveritis bellum, dummodo præda oſtendatur, miles ut in ſentinam confluet. Nulla arma ſatis ei juſta atque legitima, quæ infructuoſa. Succumbebatis nuper calamitati, ſed læſerant vos Dani; dites & imparati erant. Paucas habet Germania regiones, in quibus poſſitis operæ precia mereri, quas vaſtabitis prius quam acquiretis. Et quid ultra niſi bellũ, ſed quod vix geri poſſit? quocirca, Princeps pia, propone animo martem belli communem, propone communem miſeriam, tuorum periculum & laſſitudinem: cogita quod Victoria non ſperetur, præmia poſſideatis. In bonis tuis rebus ampla & ſpecioſa danti pax eſt; ſi adverſa ingruant neceſſaria magis quam honeſta.

Vos, Belgii Fœderati Patres, tu felix Libertas, ad tantam magnitudinem non uno provecta miraculo, edite illud majus miraculum, ut moto & concuſſo orbe, redeat quies. Nihil non Batavum erit, ſi pacem dono dare Batavorum ſit juriſdictio

dictio. Roma infantiam ſuam hoſtium & vicinorum imbecillitati refert acceptam: Vobis ſuborientibus jam erat hoſtis Rex maximus. Roma quingentos annos intra Italiam ſtitit: Vos nondum ſeculum attingentes Imperium ne terminatis Oceano quidem. Vix opinantur ſapientes plures in una civitate religiones bene coaleſcere: nullam veſtra proſcribit reſpublica, ſed pars libertatis credere quod velis, quod credas eloqui. Negavit antiquitas divites & mercatores in bello excellere: Soli vos ad plenum ævum præſens cognoſcitis, quo omnibus mercenariis fruſtra in fatali ſocordia & torpore priſcorum incitamentis ad magna enitaris. Melius & felicius, veſtris in oppidis & foris, dum quicquid opulentum venditur, comparatur quicquid magnum. Et quid non veneat? æternæ victoriæ, urbes inexpugnabiles, ipſa totiens empta fortuna dolabra Belgarum. Macte prudentia tua & ſolertia, Belgica, & ut parem non videas, pacem amplectere. Satis armis & magnitudine litatum: Stabilienda res eſt. Nimirum felicitatem corruptio comitatur, & intra munera fortunæ etiam vitia ſunt. Non quod ad formas ſapientum reipublicæ id eſt, ſtolidæ mullitudinis, forma redigenda. Cum optima quæque raro eveniant; ubi evenerint, haud fere diuturna ſint. Nec enim Diis nobis nec furiis eſſe licet: alterum humanitas non patitur, alterum nec Deus nec homines. Satis eſt ſi intra vitia diſtricti, peſſima tranſeamus, præſertim hiſce temporibus moribuſque, quibus æque crimina ac virtus; certe cæterorum potius ignavia, quam ſuum aliquod bonum multas civitates tutentur. Ergo non fecem civitatum, non loca cen ſores metuentia, ſed propria rerumpublicarum mala timemus. Juſtitia, honores, omnia auro parent: corrumpere & corrumpi ſeculum eſt. Cæteris quidem vitiis blandientibus ignoſcatur; modo non illa quibus ſervitus conſtat, humanitas, civilitas, magnificentia falſis nominibus appellentur. Peperit hanc patriæ cladem ex parte clades magni exſulis, cujus ſatellites ſceptrum malis avibus acceptum, inanibus egerunt. Nam receptum regibus arcanum, quanto quis procerum ad luxum & libidines promptus, apud eos ſpecie virtutis validus, quo patrimonium per pompam & voluptates effuſum, per patriæ ſuumq; dedecus reparet. Inſanivit contagione reſpublica & rerum vocabula cito inverſæ Memini Venetos Septentrionalium irridere ſtoliditatem, qui criminum ad rempublicā non pertinentium ſeveri Cenſores, adulterii reos Senatu moventes, aliena pecunia corruptos, qui ſe proſtituant, & ſtuprum inferant reipublicæ, non dubitent admittere. Hæc & alia cum animo volventi, manifeſtum eſt à Septentrionibus ſic affici homines, ut non tam reverentia legum (quippe licentiæ propiores) quam inſita ferocia, & naturæ lege liberi ſint. Sed illud conſtans eſt, rem quæ in venalium jus atque ditionem conceſſerit, nec pace ſalvam nec bello. Quin imo pax multorum conſiliis, arma ſummo Imperio valent, ad nocendum ſunt potentiora. Atqui ego non hoc in hiſce Ordinibus & Principe Auriaco, patriæ patribus, vereor: ſed bonis Imperium obtinentibus, pravi legibus & exemplis ſunt frenandi. Animus mortalium lex plane periculoſa. Tollantur paulatim regni reliquiæ, Patres, libertate pares, dignitate principes in republica eſſe convenit. Haud facile miſcentur libertas & domini. Etiam ſuo temperamento virtus eget. Liberalitas moderanda, ne in inopiam abeat. Vindicibus libertatis gratia referenda, ſed ne gratia libertatis ſervitus ſit. Equidem unius potentia turbam in vitas & religiones varias diſpalatam compingit, ſed ita ut pacis tandem interſit unum imperitare. Quædam etiam remedia magis nociva morbis. Et quanquam unus libertate fatalis, duorum potentia majus portentum, nec niſi civili ſanguine piandum. Sub uno, an ſerviendum, contenditur: ſub duobus, utri ſerviendum. Quare caute & propediem & præcipue in rerum tranſitu corrigendi hi defectus, qui intempeſtive moti hoſtile aliquid portendunt.

1712A

tendunt. At provinciæ & civitates inæquales in otio diſſidebunt. Si civitates, interponent facile autoritatem Ordines: ſed ne provinciæ in partes abſtrahantur, bonis legibus communienda res eſt. Nam Bataviæ tantum inter reliquas eminenti & plus quam paria agitanti cæteræ omnes obviam ibunt, ne diſcat plura velle. Et hercle eſt quædam in hac diſparilitate paritas. Batavia eſt ærarium, ſed illis veluti clavibus clauditur & reſeratur: hæc plus opum, illæ nobilitatis habent. Periculum à varietate religionum non parum ipſa imminuitur varietate; tum quod una ad clavum reipublicæ ſedeat; denique quod Romanenſibus non nimium licentiæ. Invigilandum tamen, ne quid novi obrepat: ſive enim novitate, ſive divina mutantibus nihil humani intemerandum, ſive culpa factioſorum auctorum, novis ſectis veluti furialibus ſtimulis, ad res novas & nova ſcelera aguntur homines. Sed me quidem remedia abducunt: grandium enim malorum mentionem facere non eſt hujus cœpti. Quando plurima in ſegni bello, ut nunc geritur, eadem minitentur. Geritur enim foris, milite mercede parato, & quicquid eſt hominum degenerum & purgamentorum, arma nec detinent adeo, nec ſummovent, & timor quidem ex hoſtibus lenis civibus officii magiſter. At virtus militaris marceſceret. Quaſi vero nunc illa diſciplina. Non cum Romanis, non cum veteribus arma veſtra componamus: Loquantur veterani & exerciti, loquatur fortuna quantum à temporibus Mauritii defeceritis, quantum tum exercituin, quot duces in armis habueritis, & quot victoriæ reportatæ. Anne quanto plus militum nunc & ducum, tanto minus virorũ, & res militaris mercatorum in mercaturam degeneraverit? Et vobis pecunia ſuffultis non deerunt etiam in otio aliorum veterani, & ſatis temporis erit ad exercitum faciendum. Nec ad inermem pacem vos cohortor: paucæ ſint, ſed lectæ manus contra quoſvis caſus, in pace decus, in bello præſidium. Nunc tanto armatorum agmine conflat Reſpublica grande æs alienum, vectigalia & tributa potiſſima ſub Rege turbarum cauſa quotidie gliſcunt, & niſi modus ſit, excedent etiam libertatis amorem. Nam jam occepit ſuſpicax vulgus multa ſecus interpretari. Hoc, inquiunt, agitur, ut unius domus patrimonium ſimus: tot copiis, tot ſtipendiis triumphorum Galliæ & cladium Hiſpanniæ, ſumptuoſi ſpectatores, nova Reipublicæ onera adjicimus, ne cæteris provinciis ſubjectis exhauſta difficulter ſub Gallorum jugum eat. Multarum imaginum & ſæpe nullius ſtipendii homines, qui noſtram faſtidiunt novitatem, primis belli muniis præficiuntur. Imbuuntur centuriones diſſimulatis furtis. Habent jam majora piacala nutriculas *** ſed anne Belgium Hiſpanuum (ut nunc pugnatur) magnam partem in Gallorum jus conceſſurum? Quod ſi eveniat, pacem ne reſpublica an bellum habebit? Si pacem, quanto tutius cum Hiſpanis, non ob virtutem eorum, ſed impotentiam, imo ob vitia. Didicit non uno à crimine Hiſpanum Batavus; huic cum fidem non habeat, non eſt quod fallat; hujus fidei ita innitetur, ut à perfidia bene tutus ſit. At Gallorum multi religione, multi connubiis miſti incolunt urbes veſtras, merent ſub ducibus veſtris, & ab illis plus ſatis æſtimantur: horum mores veſtra imitatur juventus, horum etiam probra illi arrident. Quo impenſius proſpiciendum, ne illa vobis amicitia in ſervitutem vertat, & quæ alioquin adjumenta libertatis, hic inſtrumenta regni ſint. Fœdus hic mihi quis nominat? dum veſtro cruore & auxilio contra Hiſpanos egent, dum Hiſpani intermedii, ſocii fideles, vicini quieti erunt: ſed his remotis nemo illos velit accolas. At vicina quæque depaſti, quantum belli incendium excitaturi ſint bellicoſi & inquieti homines, nemo neſcit. Auſtriaci tum ſubſidio erunt? Quidni vos divident potius? Sic Rex Galliæ & Arragoniæ regnum Neapolitanum, ſic Maximilianus Imperator & Gallus rempublicam Venetorum partiti ſunt: & præſentiuſne ullum exemplum

C quam

quam ut Flandriam oppugnatis? Fœdera hæc alteri ut plurimum non bene cedunt. Sed occæcati libidine dominandi mortales in idem genus labyrinthos identidem revolvuntur. At ſi alterum tantum regnorum bellum, neutrum metum queat inferre; altius vis ab altero avertetur. Hoc Venetiæ arcano ſubſiſtunt. Ergo Hiſpanus in Belgio retineatur non tam adverſus vos quam Gallorum temeritatem propugnaculum. Et ſane niſi totum Belgium, nihil acquiritis præter hirudines ærarii. Quid ſi nec totum ſibi ſufficit, quod ſub Hiſpanis eſt? Mercatura, æri fodinæ illius, veſtra eſt. An domus etiam & congeſtus lapidum & ſinus quidam, ubi divitiæ ejus faciant naufragium, Hiſpano invidioſa? Victura reipublicæ magnitudo eſt, qua nec vos aliis nec alii vobis metiendi. Fatigatus eſt armis orbis noſter. Execrantur omnes bellum præter colluviem hominum deploratorum, quæ pacem nequit amare. Hæc manent fata, quos bellum: hi concitabuntur imprimis in illos, qui furiæ habentur & faces multorum bellorum. Tua refert, Belgii libertas, ne ſine te aut ne non transfigatur depreſſis hoſtibus & amicis nondum ad ſuperbiam elatis. Hactenus onerata magis quam ornata reſpublica, fuitque prima armorum lex corraſio ſtipendiorum. Ex quo pace fruemini, formabitur reſpublica, depelletur regnum æque ac Rex depulſus, omnia diſponentur, revocabitur, ſicubi declinat, lubrica multitudo, & illud erit onerum temperamentum, ut à malo publico plebs detineatur, privatum non ſentiat. Ergo, Patriæ Patres, capeſcite rempublicam, imponite bellis pulchrum finem: ſi pax melior, pace paciſcenda, ſi bellum induciis. Aut pacis aut belli cauſa, pacem nomine dulcem, re ſalutarem date & accipite.

DIXI.